



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Hvgoni Nvcerino Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ad preces dilecti filij magistri P. de Corbolio, quem sincera diligimus in Domino caritate, fraternitati tuæ scripisse recolimus, ut præbendam Ecclesiæ tuæ pro reverentia beati Petri & nostra sibi liberaliter assignares. Tu verò (unde valde miramur) non curasti precum nostrarum primitias & mandatum apost. adimplere: quin potiùs antequam idem Subdiaconus à te posset obtinere responsum, multis fuit expensis & laboribus fatigatus. Post hæc verò nuntij tui ad sedem apost. accedentes, ut te ab impetitione præfati Clerici absolvere curarem, instantiùs postularunt, quod non potuerunt aliquatenus obtinere. Nolentes autem quod pro Deo de provisione præfati Subdiaconi laudabiliter incepimus relinquere imperfectum, fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus atque præcipimus quatenus si qua præbenda nunc vacat in Ecclesia tua, eam sibi non differas assignare, stallum eidem in choro & locum in Capitulo conferendo. Alioquin quam primò vacare contigerit, nostræ donationi præcipimus reservari, personæ idoneæ conferendam: de qua si quid à te fuerit ordinatum, decernimus non tenere. Dilectis quoque filiis Decano & Capitulo Aurelianen. dedimus in mandatis, ne aliquem ad institutionem tuam recipiant in Canonicum & in fratrem ad præbendam primitus vacaturam. Datum Laterani IV. Kal. Maij.

*Scriptum est super hoc Decano & Capitulo Aurelianen.*

*HUGONI NYCERINO  
Episcopo.*

*Epist. 52.  
Vt restauret  
monasterium  
de Vvaldo.*

**S**ic nos de singularum Ecclesiarum statu decet esse sollicitos, ut & utilitatibus consulamus ipsarum, & gravaminibus obviamus, ne creditam nobis sollicitudinem postponere præsumamur. Attendentes igitur qualiter monasterium de Waldo, quod ad Rom. Ecclesiam nullo pertinet mediante, in spiritualibus dissolutum sit, & in temporalibus diminutum, qualiter etiam à vicinis undique molesteretur, ipsum tibi personaliter de fratrum nostrorum consilio committimus, quantum Dominus tibi permiserit, restaurandum in temporalibus, & spiritualibus reformandum; facultatem tibi corrigendi quæ in eo

corrigena fuerint, & statuendi quæ statuenda cognoveris, auctoritate præsentium liberam indulgentes; ita tamen quòd ex hoc libertas ipsius monasterij non lædatur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Laterani IV. Nonas Maij.

*MAGISTRO ET FRATRIBVS  
Ord. de Calatrava tam præsentibus quàm  
futuris secundùm ord. Cisterciën. fratrum  
viventibus.*

**Q**uoties à nobis petitur &c. usque ad verbum annuimus, & felicis record. Alexandri & Gregorij prædecessorum nostrorum Rom. Pont. vestigiis inhaerentes, præfatum locum de Calatrava, & locum de Salvaterra, in quo ad serviendum Deo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. In primis siquidem statuente ut institutio quam Abbas & fratres Cisterciën. vobis in eodem loco morantibus, non ut familiaribus, sed ut veris fratribus fecisse dicuntur, perpetuis temporibus ibidem inviolabiliter observetur, videlicet ut militaribus armis accincti, contra Saracenos pro tuitione Christiani populi fideliter dimicetis. Præterea ea quæ de victu & vestitu vestro præfati Abbas & fratres Cisterciën. & universum Capitulum ejusdem ordinis à vobis regulariter observanda sanxerunt, vobis nihilominus confirmamus, videlicet, ut lineis in femoralibus tantum vobis liceat uti. Vestes quoque moderatas, honestas, & commodas secundum consilium Morimunden. Abbatis & Magistri vestri cum scapulari pro habitu religionis habeatis. Vestiti & cincti dormietis: & in oratorio, dormitorio, refectorio, & in coquina silentium jugiter tenebitis. Cavebitis autem ne in qualicumque veste aut superfuitatis argui, aut curiositatis notari possitis. Tribus verò in hebdomada diebus, id est, feria tertia, quinta, & die dominica, cum præcipuis solennitatibus, vobis carnibus vesci licebit. uno tantum ferculo, & unius generis, quantum ad carnes pertinet, contenti eritis. & ad mensam ubique silentium tenebitis. Ab exaltatione quoque sanctæ crucis usque ad Pascha tribus diebus, scilicet secunda feria, quarta, & sexta, præter Natale Domini, Epiphaniam, Hypa-

*Epist. 51.  
Recipiuntur sub  
protectione sedis  
apostolicæ.*